



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

V. Transactio per abbatem vel priorem cum literis ratihabitionis conuentus  
facta, rata debet permanere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.

CAP. IV. *Idem Dunelmensi episcopo.*

Accepimus quod quadam ecclesie clericis tali tenore sunt concessa, quod post eorum obitum alii nominatim succedant: unde quoniam hoc iniquum est, & sacris Canonibus inimicum, & ideo non debet aliquatenus tolerari, fraternitati tuae, &c. quatenus huiusmodi successiones tam detestabiles & iniquas, contradictione & appellatione cessante, fieri prohibeas, & omnino friuolas & vanas esse decernas.

Sup. ex  
Conc. Ro.  
Nulla.

CAP. V. *Idem Dunelmensi episcopo.*

Contingit interdum, quod licet abbas vel prior alicuius conuentualis ecclesie, cum ecclesiastica vel seculari persona super his, de quibus inter eos controuersia vertitur, coram delegato vel iudice ordinario transigat, literis capituli sui de ratihabitione monstratis, ipsum tamen capitulum eandem transactionem nititur reuocare. Unde quia super hoc nos consulere voluisti, consultationi tuae taliter respondemus, quod si abbas vel prior de capitulo suo literas de ratihabitione habuerit, transactionem quam fecit, praesertim si fuerit aliquot annis seruata, capitulum, ac si non consenserit in eam, non poterit aliquatenus reuocare. Super eo vero, quod clerici & religiosae personae, sicut asseris, literarum intuitu quas habent a laicis, sibi ius in ecclesiis vendicant, hoc tibi volumus innotescere, quod ubi episcopalis auctoritas non accesserit, per illos ecclesias suas possunt obtinere.

Transactio-  
nem per ab-  
batem vel  
priorem, cu  
literis rati-  
habitionis  
conuentus  
factam, ra-  
tam haberi.

CAP. VI.

*Idem abbati de Staforde, & priori de Elelbi.*

Constitutus in praesentia nostra G. clericus, sua nobis assertionem monstrauit, quod cum inter ipsum & A. clericum super capella de Stancona controuersia emerisset, tandem per transactionem fuit sopita: & licet transactio ipsa, fide hincinde praestita, firmata fuisset, eam tamen praefatus A. seruare contradicit. Quia ergo huiusmodi transactiones nonnunquam speciem obtinent simoniae, & non solum a malo, sed a specie mali, secundum Apostolum, nos conuenit abstinere, discretionem vestram, &c.

Sup. de po-  
testate iu-  
dic. Si qua

1. Thess. 5.

• Concil. Tom. 27.

Nnnn ij